6

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SUDORE PRÆPRIMIS NIMIO,

QUAM
CONSENSU GRATIOSI ORDINIS MEDICI,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME CONSEQUENDI,
PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

BENJAMIN FRIDERIC ERHARDT,
STUTTGARDIA-WURTEMBERGICUS.

D. MAJI. MDCCXLI.

ARGENTORATI,
EX OFFICINA PAUSCHINGERIANA.

DEO
ET
PROXIMO.

Ξὺν Θεῷ.

PRÆFATIO.

Excreta & Retenta, ritè ſe habentia, plurimum conferre ad ſtatum corporis humani ſanum, nemo eſt qui dubitabit; E contrario etiam easdem res, vel imminutas vel nimis auctas, corpori ſimul plurimas afferre noxas, nec ullus unquam ſanioris mentis negabit. Hinc prioris ævi Medici Excreta & Retenta inter ſex Res Non-naturales optimo jure cenſuerunt; ad quarum igitur claſſem merito etiam ſpectat SUDOR, tanquam Excretum ſeroſum ſuperfluum. Quamdiu ergo hic limites ſuos non transgreditur, tamdiu etiam homo integerrima fruitur ſanitate, & contra. Hoc bene perpendens, cauſa mihi fuit, exantlatis nuper feliciter Examinibus Doctoralibus, *Diſſertationem meam Inauguralem* de SUDORE, PRÆPRIMIS NIMIO, conſcribendi. Ut autem DIVINUM NUMEN conatui meo qualicunque ex alto benedicat, ardentibus precor ſuſpiriis: Te vero, Lector Benevole, ut æquam de labore feras ſententiam, ſubnixe rogo.

§. I.

DUm nobis in ſequentibus de SUDORE potiſſimum NIMIO ſermo erit, ante omnia mentem noſtram exponemus de Sudore naturali, ejusque Differentiis, Organis, ac Secretionis modo; hinc mentionem faciemus de variis Sudoris Vitiis; tandemque explicatio fiet de Sudore nimio, ejusque Cura, in ſpecie. Faxit DEUS T. O. M. ut omnia feliciter!

§. II.

In Sudoris Onomatologiæ, qualis videlicet vox ſit, non longe immorabimur, ſiquidem alii ante nos Viri (a) hoc ipſum fuſius jam explicarunt, demonſtraruntque vocabulum hoc latinum, uti multa alia, è Græcis fluxiſſe fontibus. Dimanavit enim Latinorum SUDOR à Græcorum Ὕδωρ, *Aqua ſeu Unda*, converſo videlicet ſpiritu aſpero in S, (quali modo ab ἕξ eſt ſex, ab ἑπτὰ ſeptem) mutatoque Υ Græcorum in *u* vocale Latinorum; quod in aliis quoque vocabulis admodum frequens eſſe, magnus olim Criticus, GERHARD. JOH. VOSSIUS, (b) jamjam oſtendit.

§. III.

(a) Inter hos præcipue eminet *Melchior Sebizius*, in Diſſert. ſua inaugural. An. 1688. hic Argentinæ *de Sudore* habita, Theſ. I. pag. 3.

(b) de Liter. Permut.

§. III.

Eſt itaque SUDOR (c) *ſummus Tranſpirationis gradus, quo mediante ſerum* (d) *ſalſo-ſulphureum, tenue, ſpirituoſum, ac fluidum, quandoque etiam* (e) *terreis ac craſſis particulis remixtum, per poros cutaneos prorumpit, inque veras guttas concreſcit.*

Multum igitur differt â *Tranſpiratione inſenſibili*, tanquam primo, ac vix ſenſibili, Excretionis ſeroſæ cutaneæ gradu, â SANCTORIO *Perſpiratio*, â noſtris autem indigenis **eine unvermerckte Ausdünſtung** dicta. Differt quoque â ſecundo ipſius gradu, (f) Græcis Διαπνοὴ, Latinis *Mador*, Germaniſque **das Dåmpfen** dictus; quo corporis peripheria (g) humida quidem, ſed ſine ſudore guttato redditur. Tertius & ſummus itaque naturalis perſpirationis gradus *Sudor* ſeu *Sudatio* audit, (h) Græcis Διαφόρησις, Noſtratibusque **der Schweiß, das Schwitzen**; quo ſerum

 egre-

(c) *Juncker.* Conſpect. Phyſiol. Med. Tabul. XXII. pag. 320.
(d) *Hoffmann.* Medic. Ration. Syſtem. Tom. I. Part. I. Cap. VIII. §. XV. & XVI. p. 210.
(e) *Verheyen.* Anatom. Corp. Human. Lib. II. Tract. I. Cap. XXXI. p. 134.
(f) *Gorræi* Definit. Medic. Pariſiis 1622. in fol. impreſſæ, pag. 154.
(g) *Juncker.* Conſpect. Phyſiol. Med. loc. cit. p. 320.
(h) *Gorræus*, loc. cit. p. 157.

egrediens, in corporis noſtri peripheria, guttatim colligitur atque conſpicitur.

§. IV.

An ultimus hic gradus, *Sudor* nimirum in ſanis erumpens, ſanus ſit dicendus, Authores non unanimes ſunt. Quidam enim 1) exiſtimant, Sudorem omnem præternaturalem dicendum eſſe, quoniam non niſi contra leges naturales, extreme commotâ maſsâ ſanguineâ, fluere ſolet: Verumenimvero his breviſſime reſpondet CHRISTIAN. JOHANN. LANGIUS, (i) ſequenti modo: Fruſtra urgetur iſta adeo inſignis Maſſæ Sanguineæ commotio, cum ſæpe acria ac ſalita paululum alimenta, v. g. Halecia, Acetaria, &c. imo ſolus calor externus quodammodo auctus, ſatis in ſe habeant cauſæ ad excitandum ſudorem. Porro 2) alii opinantur, ſudorem hunc ſe ad Perſpirationem naturalem habere, uti ſe habeat Diarrhœa ad Alvi depoſitionem ſeu exonerationem naturalem: Verum & hanc ſententiam celebris quidam emollit Medicus Lipſienſis, (k) ſic ſcribens: Pro lite declinanda largior, quod Sudatio, ratione impetûs atque impellentis, utique aliquid præternaturalis involvere videatur, nihilque, niſi tranſpiratio intenſior

(i) In Oper. Med. Omn. Part. I. pag. 123.
(k) *Joh. Bohnius*, in Circul. Anatom. Phyſiol. Prog. XV. pag. 206.

tenſior ac velocior ſit; materiæ nihilominus intuitu, organorum, & ſecretionis atque excretionis modi, hæ functiones ambæ conſonant. Conſentit aliquomodo Celeberrimus VERHEYENUS, (l) inquiens: quantum ego capio, nullus Sudor plane naturalis eſt, quia tamen ſæpe excernitur ſine notabili modeſtia; & in naturaliter ſanis, ſolet eatenus computari inter humores naturales.

§. V.

Licet autem modo dicti Authores ſuperficialiter tantum concedere videantur, quod Sudor ſit excretio naturalis; res tamen dubio prorſus caret. Sudor enim ad ſanitatem conſervandam ſumme neceſſarius ac utilis (m) exiſtit, quandoquidem eôcum ſerum ſalſo-ſulphureum ac nocuum optima cum euphoria è corpore educitur, ſicque ſimul homo à multis magnis morbis præſervatur. Unde etiam HIPPOCRATES (n) recte judicat: Eos quidem imbecilliores eſſe, ubi corpus bene tranſpirat, ſed ſalubriores, promteque ad ſanitatem redire præ aliis, eosque â morbis facilius præſervari. Deinde quoque Adamo poſt lapſum

(l) In Anatom. Corp. Hum. Lib. II. Tract. I. Cap. XXXI. p. 134.

(m) *Act. Erud. Lipſ.* An. 1695. Maj. pag. 236. Et *Coſchvvitz.* Organ. & Mechan. Phyſiol. Sect. I. Cap. V. p. 144.

(n) Libr. de Morbis.

lapſum ſuum â Summo Creatore ſtatim injunctum fuit, ut in Sudore faciei pane ſuo veſcatur; (o) minime certe eam ob cauſam, ut exinde quotidie prolaberetur in ſtatum morboſum ac præternaturalem, ſed ut ſtatus ipſius naturalis per hoc medium eò melior conſervaretur.

§. VI.

Materia enim, quæ mediante Sudore ê corpore noſtro eliminatur, ſerum eſt ſubtile, aquoſum, ſpirituoſum, ac halituoſum, multis particulis ſalinis, ſulphureis, imò quandoque terreis refertum; adeoque Urinæ valde (p) ſimilis, adeoque noxia. Ab Urinæ enim materia non quoad eſſentiam, ſed quoad conſiſtentiam (q) tantùm differt, quippe quæ craſſior, Sudor vero aquoſior atque halituoſior. Hanc autem Sudoris cum Urina convenientiam probamus

1) ex particulis conſtitutivis amborum humorum: Urina conſtat ex particulis ſeroſo-aquoſis, ſalinis, atque oleoſo-ſulphureis; eædem quoque reperiuntur in Sudore, ſeroſo-aquoſæ enim

(o) *Geneſ.* Cap. III. verſ. 19.

(p) *Coſchvvitz.* Organ. & Mechan. Phyſiol. Sect. I. Cap. V. §. 82. & 83. pag. 140. ſq. *Galenus*, Lib. X. de Simpl. Facult. *Et* Comm. in III. Epidem. *Verheyen*, loc. cit. p. 134.

(q) *Juncker.* Conſpect. Phyſiol. loc. cit. p. 322. IV. 1.

enim partes (r) omnium primo ſenſum viſus & tactus incurrunt, ſub collectione guttarum, in ſuperficie cutis apparentium; ſalſæ manifeſtæ fiunt, modo per ſaporem ipſum, ſi deguſtetur Sudor, modo (s) per acrimoniam ſalſam, quæ ſæpe moleſtum pruriginis ſenſum in peripheria corporis efficit; ſulphureæ tandem ac oleoſæ partim graveolentia ſeu fœtore ſe produnt, (t) partim colore flaveſcente, quo linteamina ac induſia quandoque tinguntur.

2) Ex utriusque excretionis affinitate & viciſſitudinibus (u), dum una alteram diverſimode alterare aut infringere valet, & hoc tam in ſtatu naturali, quam præternaturali: Ita v. g. tempore hyberno (x), ubi â frigore pori cutanei ferè clauſi ſunt, plus mingimus, minusque ſudamus; tempeſtate vero calida contrarium accidit. Porro in Febricitantibus obſervare licet, quod illi qui paucam reddant urinam, (y) plus ſudent, & contra. Probant & hoc remedia ipſa Diaphoretica atque Diuretica, plurima enim eorundem & Sudorem & Urinam movere ſolent.

 3) Hanc

(r) *Coſchvvitz.* loc. cit. §. 82. in Schol. p. 140.
(s) *Juncker.* loc. cit. p. 322. IV. 2. in fine paginæ.
(t) *Coſchvvitz.* loc. cit. p. 140. *Juncker.* loc. cit. p 323. ab init.
(u) *Behr.* Phyſiol. Med. Cap. XIV. de Sero, p. 490. in fin.
(x) *Camerarius*, Syllog. Memorabil. Medicor. Cent. I. Partic. 51. *Coſchvvitz.* l. c. pag. 141.
(y) *Juncker.* loc. cit. p. 323. Et *Coſchvvitz.* pag. 141.

3) Hanc etiam harmoniam probant exempla hominum quorundam, ſuppreſſione urinæ omnimoda decumbentium, ubi Sudor (z) non modo copioſus, ſed plane eodem odore gravi, atque ſapore ſalſo, quibus urina ordinarie gaudet, excernebatur. Probat & hoc, Sudor illius ægroti, (a) qui, poſt Sal volatile oleoſum ſumtum, urinæ odorem penitus ſpiraverat.

§. VII.

Materia Sudoris perluſtrata pergimus ad ejusdem *Organa ſe-&-excretoria*. Hæc juxta MALPIGHIUM, STENONEM, atque (b) VERHEYENUM, magna pro parte *Glandulæ* ſunt *ſubcutaneæ* ſeu *miliares*, â forma & mole ſic dictæ, quarum ſingulæ ſingulis poris cutaneis ſubjacent, ac quævis quoque arteria, vena, nervo, atque vaſculo excretorio, ſudorifero nominato, gaudet; (c) quapropter ad conglomeratas recenſentur, quoniam mediante proprio iſto ductu, liquores ſeroſi copioſi, cum partibus reliquis mixtis, & quidem inſen-

(z) *Salmuth.* in Obſervat. Cent. II. Obſerv. 82. *Garmann.* de Mirac. Mortuor. Lib. II. Tit. 6. §. 70. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. An. VI. Obſ. 15. *Coſchvvitz.* l. c.

(a) *Riedlin.* Lin. Med. Ann. V. Menſ. Mart. Obſerv. XXIX. pag. 311.

(b) In Anatom. Corp. Hum. Libr. II. Tract. I. Cap. XXXI. p. m. 134. ut & in Capite de Cute, p. 35.

(c) *Ludolff.* Diſſert. de Sudore; Erfordiæ, 1722. §. VI. pag. 8.

inſenſibiliter, ſi parcior ea ſequeſtratio ſit; aut in forma Sudoris, ſi humiditas ſimul quaſi ac ſemel effluit largius. Hæque Glandulæ exiliſſimæ ſunt, (d) ita, ut in ſano corpore viſum pene fugiant, in tabidis vero & hydropicis conſpectiores exiſtant. Sed bene hic notandum, quod recentiores Anatomici fere omnes (e) de his ſubcutaneis glandulis maxime dubitent: Viſum enim ſubterfugiunt, cuteque â ſubjecta pinguedine exacte ſeparata, nullibi conſpici poſſunt; illa inſuper corpuſcula ſphæroidea, quæ in ipſa cute, aut ſub epidermide, unâ cum ductulo excretorio, variis in locis (v. g. in Palpebris, Naſo, Auribus, Mammillarum areolis, &c.) in conſpectum veniunt, pro glandulis quidem cutaneis, non autem pro ſubcutaneis, haberi poſſunt: Imò de his (f) HEISTERUS adhuc annotat, quod in quibusdam pauciſſimæ, in aliis prorſus nullæ conſpiciantur.

§. VIII.

Cum ergo Glandulæ hæ ſubcutaneæ nondum ſatis evictæ ſint, alii Authores his pro organis venditant, (g) *Cutim*, *Cuticulam*, (h) *Poros cutaneos*,

(d) *Fiſcher*. Diſſert. de Tranſpiratione, Erfordiæ, 1720.

(e) *Heiſter*. Compend. Anatom. §. 396. p. m. 221. *Juncker*. loc. cit. pag. 324.

(f) In Compend. Anatom. Tom. II. pag. 36.

(g) *Juncker*. Conſpect. Phyſiol. Tab. XXII. pag. 325.

(h) *Thauvrii* Anat. Rat. Nov. p. 374. *Boyle*, Tentamin. Porologic. Cap. 3.

neos, *&* (i) *Pilos.* Hi ultimi tamen, juxta COSCHWITZIUM, ſecundarium tantum conſtituunt excretionis organum; per Microſcopiorum enim uſum Phyſici quidam detexerunt, quod Pili ſint fiſtulæ tenuiſſimæ, intus cavæ, extus vaginula quaſi circumdatæ, eidem ſeroſæ tranſpirationi inſervientes. De prioribus tamen (k) JUNCKERUS, aliique, fuſius probarunt, illa vera Sudoris eſſe organa.

§. IX.

Ut autem Sudor eò melius in Organis ſuis ſe-&-excernatur, variis adminiculis opus habet: 1) Ut ſanguis tunc per cor & univerſum corpus (l) celerius circumagatur. 2) Ut calor vitalis intenſior reddatur, motusque ſanguinis inteſtinus augeatur. 3) Ut materia movenda & excernenda (m) ſatis mobilis & fluida ſit. 4) Ut ſeroſæ hæ Maſſæ Sanguineæ particulæ ſub tali ſtatu (n) magis rarefiant, â reliqua maſſa laxentur, &, qua data porta, ad abſcedendum & exſudandum diſponantur. 5) De-

---

(i) *Coſchvvitz.* loc. cit. §. LXXXV. pag. 142. *Juncker.* loc. cit. p. 325.

(k) In Conſpect. Phyſiol. pag. 325. & 326.

(l) *Sebizius*, in citata ſua Diſſert. inaugur. de Sudore; §. XIV. p. 13.

(m) *Scholzius*, in Conſil. Collect. 382. *Coſchvviz.* loc. cit. p. 142. in fine.

(n) *Sebizius*, loc. cit. p. 13.

5) Denique, ut ſufficiens adſit (o) apertura cutis; aut melius, ut viæ excretionis ſufficienter pateant; ne, illis clauſis, totum negotium reddatur impeditum. Ad hæc igitur adminicula variæ adhuc res occaſionem præbere poſſunt, v. g. exercitium corporis, (p) motus auctus, curſus, ſaltatio, infuſa aut decocta calida, potus Theé, Coffée, remedia Alexipharmaca ac Sudorifera, ſtragulæ, fotus, balnea, &c.

§. X.

Sudor tali modo ſecretus & excretus, quamvis nullam amplius habeat utilitatem, quam corpori præſtat, tamen ſecretio & excretio ipſa valde nobis (q) utilis exiſtit, imò non ſolum ſanitatis (r) ſed & vitæ magnum eſt auxilium, & variis â morbis (s) nos præſervat. Eum enim in finem Natura noſtra Sudorem movet, (ſs) ut maſſa ſangui-

(o) *Garmann.* de Miracul. Mortuor. Lib. II. Tit. IV. §. 11. *Coſchvvitz.* loc. cit. *Scholzius*, loc. cit.

(p) *Verheyen.* Anat. Corp. Hum. Lib. II. Tract. I. Cap. XXXI. p. 136.

(q) *Act. Erud. Lipſ.* An. 1695. Menſ. Maj. p. 236. *Coſchvvitz.* loc. cit. p. 144.

(r) *Ludolff.* Diſſert. de Sudore, §. XVIII. pag. 17.

(s) *Hippocrates*, Libr. de Morbis. *Hoffmann.* Med. Rat. Syſt. Tom. I. Part. I. Cap. VIII. §. XVII. in Schol. p. 210.

(ſs) *Helmontius*, in Oper. p. m. 373. *Bohnius*, Circul. Anat. Phyſiol. Progymn. XIX. *Juncker.* Conſpect. Phyſiol. Tab. XII. p. 328.

nea â particulis effœtis liberetur, ſimul tamen ex habitu corporis ſolidiore quoque abſtergantur ramenta incongrua, præprimis ſalino-ſulphurea, aut quicquid â laudabilis nutrimenti natura degenerat, atque hinc ſanitati moleſtum evadit. Propterea, ſi obſervationes illæ veræ ſunt, quibus probatur, quod mediante Perſpiratione ac Sudore una die tantum evacuetur, (t) quantum per alvum quindecim dierum curſu eliminatur; facilè tunc colligitur, nullam excretionem quam hanc, ſuppreſſam vel cohibitam, tantum detrimenti corpori eſſe allaturam. Retroceſſiones itaque ſeu ſuppreſſiones Sudoris non ſolummodo (u) Raucedines cauſantur, (x) Salivationes magnas poſt ſe trahunt, (y) Oedemata procreant, ſed & cauſæ ſunt (z) Contracturæ univerſalis, (a) Ophthalmiæ, (b) Cœcitatis, (c) Epilepſiæ, Apoplexiæ, (d) Coryzæ

(t) *Sanctorius*, in Medicina Statica, Sect. I. Aphoriſm. 60.

(u) *Act. Med. Berol.* Decad. I. Vol. V. pag. 65.

(x) Breßlauiſche Geſchichte, XXXVI. Verſuch, pag. 727.

(y) *Coſchvvitz.* Organiſm. & Mechaniſm. Patholog. p. 285.

(z) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. V. in Append. pag. 10.

(a) *Lanzonus*, in Oper. Omn. Tom. II Obſ. 189.

(b) *Stahl.* Colleg. Pract. p. 564. & *Lanzonus*, loc. cit.

(c) *Eph. Nat. Cur.* Dec. III. Ann. III. Obſerv. 106.

(d) Breßlauiſche Geſchichte, XXX. Verſuch, pag. 367.

ryzæ chronicæ, pluriumque (e) aliorum damnorum, imò quandoque (f) mortem ipſam inferunt; unde ſpontè patet, quod Sudores uno impetu (g) nunquam ſint coërcendi, quod etiam in ſpecie de Sudoribus Pedum (h) dictum ſit, magnum enim quandoque corpori afferunt uſum. Omnibus inſuper notum eſt, quod (i) quò magis homines diſpoſiti ſunt ad Sudores, eò facilius etiam liberantur â febribus, aliisque morbis, præſertim epidemicis, & contra: Eapropter, ſi tales morbos avertere velimus, ſemper curandum eſt, ut & Perſpiratio, & Sudatio, ſerta tectaque maneant; (k) ſique eos tollere velimus, nihil plus curæ cordique habeat Medicus, quam ut convenientibus remediis eam reſtituat, qua de cauſa, Diaphoretica omnium remediorum ſunt ſecuriſſima & optima.

§. XI.

(e) *Juncker.* Conſpect. Medic. Theoretico-Pract. p. 795. Breßlauiſche Geſchichte, XIX. Verſuch, pag. 86. und XXIV. Verſuch, p. 457.

(f) *Zacut. Luſitan.* in Praxi admirand. Lib. III. Obſ. 73. *Eph. Nat. Cur.* Centur. I. & II. pag. 135. *Lanzonus*, in Oper. Omn. Tom. II. Obſ. 189.

(g) *Juncker.* Conſpect. Patholog. pag. 446.

(h) *Panarolus*, Jatrologismorum ſeu Medicinalium Obſervationum, Pentecoſt. III. Obſerv. 16.

(i) *Nenter.* Fundament. Medic. Theoretico-Pract. Tom. I. Tab. I. pag. 15. in fine.

(k) *Hoffmann.* Med. Ration. Syſtem. loc. cit. p. 210. in fine.

§. XI.

Abſque hâc utilitate Sudoris ac Perſpirationis, Sagaciſſimus (l) MALPHIGIUS adhuc aliam ſtatuit hujus excretionis efficaciam, nempe ſingulare Tactûs eſſe adminiculum; quatenus hujus organum, ſeu Papillæ nerveæ, â Sudatione roſcida aliquid humectationis petant, ne nimium areſcant, & ex aſſiduo uſu calloſæ quaſi reddantur. Et certè omnino neceſſarium videtur, ut Cutis & Cuticulæ textura â quodam humido emolliatur, ne ipſarum ſiccitas & naturalis rigor ſubjectarum partium uſum, ſive ſenſum ſive motum, impediat: Notiſſimum enim eſt, duriores paſſim corporis habitus ad Tactum minus bene eſſe compoſitos, perinde ac illos, qui nimio diffluunt humore. Negandum tamen non eſt, quod hoc potius ab oleoſis, quam ſeroſo-ſalſis particulis, dependeat: nullum enim arcendæ aſperitatis ac ſiccitatis efficacius eſſe remedium, quam oleoſam quandam humiditatem, quippe non ſuperficiem tantùm, ſed minima etiam contextus penetrantem, ac lævore ſuo, partiumque viſcosâ qualitate aëris inſultibus ſe ſatis opponentem, membranarum, chordarum, nervearumque fidium præparatio quotidie nos docet.

§. XII.

Sudatione ejusque utilitate ſufficienter nunc perſpecta, ad *Differentias* ipſius pergimus. Ubi vero

(l) In Tractatu ſuo, de extern. Tactûs Organ.

vero ſtatim notandum, *Sudorem* vel eſſe *naturalem*, bonum, innocuum, utilem, ac ſalutarem; vel *præternaturalem*, morboſum, malum, atque noxium.

Naturalis rurſus vel eſt *ſpontaneus*, (m) qui intra limites ſanitatis, & citra noxam, â cauſis non-naturalibus neceſſariò nos alterantibus cietur. Inter has cauſas eminet 1) Aër ambiens calidus, ſive naturâ, ſive arte talis: 2) Aſſumta calidiora, præcipuè juſcula calida, infuſaque theiformia: 3) Motus corporis citatior atque laborioſior: 4) Somnus; utut enim quasvis alias excretiones ſiſtere valeat, Sudorem tamen promtiſſimè profluere facit, etiam in iis, qui vigilantes tale quid haud ſentiunt, aut interdum non absque labore aut difficultate elicere valent; uti hoc quotidiè probant Sudores nocturni (n) ſeu matutini (o), qui ideo etiam, quoniam ſuperfluitates ſeroſas optimâ cum εὐφορίᾳ ê corpore educunt, maximè nobis ſunt ſalutares. 5) Etiam Animi Affectus varii Sudorem quandoque expellunt: Nam in Triſtitia ſæpè, uti Lacrymæ, ita & Sudor unâ excutitur. Sic enim ANTONIUS MARIA VENUSTUS: *Neque in Mœrore ingenti Lacrymæ ſolùm effunduntur, ſed ſæpè, eadem de cauſa, Sudor â toto corpore emanare conſpicitur.* Idem etiam in Lætitia quandoque obſerva-

(m) *Sebizius*, in Diſſert. de Sudore, §. XVIII. p. 15.
(n) *Lentilius*, in Jatromnemat. pag. 327. & 328.
(o) *Stahlius*, in Colleg. Pract. pag. 839.

ſervatur, ubi ſanguis, eocumque calor, ex interioribus corporis ad ambitum explicatus, meatus omnes aperit, ſerumque liquatum eodem motu per poros cutaneos expellit, quo Lacrymas quandoque movet. De Sudore frigidiuſculo ex Metu promoto, nil jam dicamus, unicuique enim notum eſt tritum illud: **Es iſt ihm ein kalter Angſt-Schweiß ausgebrochen.**

§. XIII.

Ad ſalutarem porro Sudorem & *Criticus* pertinet, qui contingit, quando in ſtatu morboſo excrementa ſeroſa, variisque particulis vitioſis inquinata, ſubitò, & cum ſolutione morbi, die potiſſimum (p) critico, per poros cutis eliminantur. Morbos autem qui Sudoribus judicantur, præprimis expoſuit (q) ALPINUS, ajens: *Frequentiſſimè Morbi acuti Sudoribus judicantur. Sudores enim, ait* GALENUS, *omnibus Febribus proprii exiſtunt, & præcipue incendentibus ardentibusve; juvant omnes Viſcerum Inflammationes, Parotides, Lethargos, reliquosque omnes Capitis Affectus: Non minus & Febres ex Intermittentibus, Quotidianas, Semitertianas, Sudores judicant.* &c. Reduci etiam ad Sudores hos Criticos non incongruè poſſunt *Sudores Febrium Intermittentium periodici*, qui in declinatione paroxyſmorum apparent; qua-

(p) Quinam ſint hi dies critici, conf. *Hippocrates*, Sect. IV. Aphoriſm. 36.

(q) Lib. VI. de Præſ. Vit. & Mort. Cap. 16.

quatenus quilibet paroxyſmus conſiderari poteſt, tanquam parvus quidam Morbus acutus, cito, atque quaſi critica excretione, & quidem ordinariò per Sudores, ad finem perveniens. Dum autem acutos præprimis morbos nominamus, (r) chronicos non penitus excludimus, cum ex obſervationibus fide dignis paſſim conſtet, hos etiam repentina quadam & larga Sudatione fuiſſe ſolutos & judicatos. In ſpecie, legito, ſi placet, obſervationem illam Borrichii, (s) Phthiſeos cujusdam penè deſperatæ, obortis Sudoribus Criticis matutinis, nigerrimis, in ſalutem patientis terminatæ. Item legito apud Schenckium (t) Hiſtorias illas Hydropicorum, per Sudores repentinos perfectè ſanatorum. Et quæ ſunt alia.

§. XIV.

Ad hanc claſſem Sudorum ſalutarium, quadantenus etiam pertinet *Sudor Artificialis*, remediis præprimis pharmaceuticis in exoptatum ſalutis eventum, procuratus. Remedia hæc duplicia ſunt, interna ſcil. & externa.

Interna rurſus varia ſunt, v. g. 1) Acria aromatica, (u) eminenti ſapore & odore prædita, quæ cor & vaſa ſtimulant, ſanguinem & lympham expandunt, fundunt, & rarefaciunt. 2) Salia volatilia,

(r) *Sebizius*, Diſſert. cit. pag. 18.
(s) *Act. Hafn.* Tom. I. Obſ. 70.
(t) *Schenckius*, in Rarar. Obſervat. Libr. III.
(u) *Teichmeyer*, Inſtitut. Mater. Med. Cap. VI. p. 28.

latilia, ſimplicia & oleoſa; quô magis enim hæc ſunt ſubtiliſata, eô major in iisdem potentia deliteſcere ſolet. 3) Diaphoretica ſic dicta fixa aut privativa (x), quæ ſemper cum regimine ſunt præſcribenda; hujus generis ſunt (y) Alcalica & Alcalina, quæ, cum acidis in corpore mixta, fermentationem excitant, & liquida fundunt; referuntur huc terrea, lapidoſa, calcinataque ex omni regno, Pulvis Bezoardicus Ludovici, Antimonium diaphoreticum, &c.

Inter Externa, quæ Sudores ê toto corpore eliciunt, eminent *Balnea calida*, & quidem *vel naturalia*, Thermæ utplurimum dicta, quæ duplicis ſunt generis, ſimplicia ſcil. quæ nihil in guſtu ſaporis extranei exhibent, præter aquæ propriam dulcedinem; & medicamentoſa, variis exhalationibus 🜍reis, 🜕roſis, &c. permixta, pro diverſa mineralium, quæ in ſinu gerunt, indole, diverſas etiam operationes edentia, plerumque autem vi calefiente & attenuante pollentia, ad Sudorem commodiſſima. *Vel artificialia*, eaque iterum vel ſimplicia, vel compoſita, vel vaporoſa, Laconica dicta. Hisque ſuccedunt *Fotus*; *Veſicæ bubulæ lacte repletæ*; *Spongiæ*; *Sacculi*; *&c. calidis humoribus madidi*; *inunctiones variæ Sudorificæ*; & quæ ſunt alia; de quorum remedio-rum

(x) *Alberti*, de Medicamentor. Modo operandi in corpore vivo, Specim. I. §. XVI. pag. 38.

(y) *Teichmeyer.* loc. cit. p. 28.

rum apparatu (z) BARICELLUS, de uſu autem eorundem, modoque agendi, Illuſtr. atque Celeberr. D. D. atque Prof. HERM. FRID. TEICHMEYERUS, (a) Fautor, atque Præceptor meus ad aras usque colendus, ut & (b) JUNCKERUS, (c) aliique, conſulendi ſunt.

§. XV.

Pergimus nunc ad *Sudorem præternaturalem*, noxium, inutilem, ac vitioſum; breviſſimis (d) qui nec confert, nec facile fertur. Hic utplurimum peccat 1) vel ratione Qualitatis, 2) vel ratione Subſtantiæ, 3) vel ratione Quantitatis.

§. XVI.

Vitia ergo *Sudoris*, *quoad Qualitatem peccantis*, quærenda ſunt in ipſius vel calore, vel ſapore, vel odore præternaturali.

Quoad colorem, varii quandoque præternaturales (e) Sudores obſervati ſunt: Sic (f) MENTZELIUS

(z) *Baricellus*, de Hydron. Nat. Lib. IV. Cap. II.

(a) In Inſtit. Mater. Med. Cap. VI. p. 27. 28. & 29.

(b) In Conſpect. Therap. Tab. IV. p. 88. ſq.

(c) *Wedelius*, in Amoenit. Mat. Med. Lib. II. S. II. Cap. 6. *Sebizius*, Diſſ. cit. §. XXVII. p. 25. *Alberti*, loc. cit. p. 34. ſq.

(d) *Hippocrates*, Sect. I. Aphoriſm. 2.

(e) *Lanzonus*, Oper. Omn. Tom. II. Obſerv. 210. *Eph. Nat. Cur.* Cent. V. & VI. p. 125.

(f) *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. VI. & VII. Obſ. 78. p. 110. ſq.

TZELIUS *luteum* in proprio corpore expertus eſt *Sudorem*, ab aſſumta ʒj Rhabarbari optimi. Talis etiam Sudor luteus familiaris eſt (g) morbo Regio ſeu Ictero laborantibus. *Cæruleum*, dextri tantum hypochondrii, (h) GARMANNUS obſervavit: Similem quoque vidit (i) DOLÆUS, in Epileptico quodam, quoties Paroxyſmus aderat. De *Sudore viridi*, multa quoque leguntur (k) exempla; quales etiam Sudores veneni aſſumti ſuſpicionem movere ſolent. *Croceus* aliquando in viro robuſto, febre ardente laborante, viſus HILDANO, (l) qualem etiam RHODIUS (m) deſcribit. *Violaceum & Sapphirinum* in infante obſervavit EDMUND. DE MEARA, (n) qui ſuo etiam colore linteamina tingebat. *Sudorem* porro *rubro colore tinctum*, ê potu liberaliori Vini Hiſpanici,

---

(g) *Sebizius*, Diſſ. cit. §. XXXVIII. p. 42.
(h) de Mirac. Mortuor. Lib. II. Tit. VI. §. 67.
(i) *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. VI. & VII. Obſ. 67. pag. 90. & 91. *Unde talis Sudor cœruleus originem trahere queat*, LENTILIUS *examinat*, *in* EPH. NAT. CUR. Dec. III. Ann. VII. & VIII. p. 133. in Append.
(k) *Krügner*, de Mat. Perl. Epiſt. I. pag. 6. *Paullini*, Obſerv. Med. Phyſ. n. 17. *Borellus*, Obſerv. Cent. II. Obſ. 56. Breßlauiſche Geſchichte, XXV. Verſuch, pag. 204. *Garmannus*, de Mirac. Mort. Lib. II. Tit. VI. §. 69. p 535.
(l) In Obſerv. Cent. VI. Obſerv. 77. 602.
(m) In Obſerv. Cent. III. Obſ. 21. pag. 120.
(n) In Exam. Diatr. Willis. de Febr. Cap. VI. p. 75.

ſpanici, notat (o) THOM. BARTHOLINUS. *Miniatum* Authores hinc & inde (p) annotarunt. *Nigrum*, atramenti inſtar, conſignavit (q) OLAUS BORRICHIUS, ut & (r) HODGESIUS. Imo de *nigerrimis ſudoribus* (s) varia proſtant exempla.

§. XVII.

Quoad Saporem, varii etiam peregrinè ſapientes obſervati ſunt Sudores. Sic *Sudorem acerrimum* in Epileptico quodam vidit (t) WILLISIUS, cui tanta vis inerat corroſiva, ut inſtar Aquæ Fortis, lintea, ni ſtatim ablueerentur, citò corroderet. *Acidum* obſervavit (u) RIEDLINUS. *Dulces* quandoque excernuntur in Febribus ardentibus, cujus dulcedinis cauſam dedit (x) MERCURIALIS. *Melleum*, translato ſimul melle, quod æger aſſumſerat, ob laxiorem fervidi corporis habitum, animadvertit (y) RHODIUS. *Chyli ſaporem* referentem

(o) In Hiſtor. Anatom. Cent. IV. Hiſt. 62. pag. 361.

(p) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. III. Obſ. 27. p. 83. *Hœchſtetter.* in Obſerv. Dec. II. Caſ. 5. *Garmann.* loc. cit. p. 535.

(q) *Act. Hafn.* Vol. I. Obſ. 70. p. 155.

(r) in Relation. Hiſtor. de Peſt. Londin. 1671.

(s) *Zacut. Luſit.* Prax. Admir. Cap. III. Obſ. 76. *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. VI. & VII. Obſ. 10.

(t) *Williſius*, de Morb. Convulſ. Cap. IX. p. 129.

(u) *Riedlin.* Lin. Med. Ann. III. Menſ. Febr. Obſ. XXI. pag. 119.

(x) Præl. in Progn. Hippocrat. p. 629.

(y) In Obſervat. Cent. III. Obſ. 68. pag. 457.

rentem notavit (z) BARTHOLINUS. *Vino ſimilem* vidit (a) LANZONUS, atque (b) APULEJUS. *Sudorem* porrò *violaceum*, *porraceum*, *lacteum*, *melleumque* litteris deſignavit (c) PAULLINI. De *Sudore* tandem *cereviſiæ* conferantur (d) SALMUTH atque (e) GARMANNUS.

§. XVIII.

Quoad odorem tandem, *Sudores ſuaveolentes* rariſſimi ſunt, etſi de Alexandro M. fertur, (f) iſtum odoriferum ac redolentem habuiſſe ſudorem. De *Sudore* etiam *Moſchum redolente*, amici cujusdam ſtrictiſſima familiaritate juncti, mentionem facit (g) GAHRLIEP. *Sudores* tamen *fœtidi hircoſi*, communes ſunt puellis, coitum jam celebratis;

(z) de Hepat. Defunct. pag. 52.
(a) In Oper. Omn. Tom. II. Obſ. 88.
(b) In Apolog. I. p. m. 417.
(c) In Obſervat. ſuis Med. Phyſ. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. V. in Append. inſertis, Obſ. 7. 17. 18. & 25. Confer. quoque *Eph. Nat. Cur.* Dec. III. Ann. I. Obſ. 40.
(d) In Obſervat. Cent. II. Obſ. 28.
(e) De Miracul. Mort. Lib. II. Tit. VI. §. 35.
(f) *Fortunius Licetus*, de his qui diu ſine alimento vivunt, Lib. IV. Cap. 8. *Garmannus*, de Mirac. Mort. Lib. II. Tit. IIX. §. 24. pag. 640. Hunc tamen ſuaveolentem Alexandri M. Sudorem in dubium vocat *Henr. Mund.* de Aër. Vital. Cap. XI. p. 70. Ut & *Wedel.* Phyſiolog. Cap. XXV. p. 188.
(g) *Eph. Nat. Cur.* Dec. III. Ann. IX. & X. Obſ. 96. p. 180.

bratis; unde etiam aliqui, (h) tales Sudores pro præcipuo proſtratæ pudicitiæ ac amiſſæ virginitatis ſigno venditant. Teterrimum porro *Sudorem Alliatum*, in Judæa febre maligna correpta, vidit (i) PAULLINI. De *Sudore Pedum fœtido ac adeò ſalſo*, ut Orichalci Limaturam, calceis impoſitam, in viridem Crocum diſſolvere valeret, obſervationem conſignavit (k) ETTMÜLLERUS. *Sudores* porro *graveolentes* oriuntur quandoque â motu (l) nimio; ab Opio crudo, (m) in majori doſi aſſumto; ex Lepore marino (n) comeſto; ex Ficuum (o) Carnisque caprinæ (p) eſu, &c. *Sudorem*, ſummum *acidum ſpirantem*, (q) RIEDLINUS commemorat; uti & *Sodorem urinæ odo-*

D *rem*

(h) *Hieron. Montuus*, ut & *Caſp. â Reis*, Elyſ. jucund. quæſt. camp. Quæſt. 38. *Sebizius*, Diſſ. de Sudore; §. XXXIX. pag. 43.

(i) In Obſerv. ſuis Med. Phyſ. pag. 20. Conf. etiam *Garmann*. l. c. §. 44. p. 650. ſq.

(k) In Med. Hipp. Chym. Cap. XII. §. 2.

(l) *Chriſt. Joh. Lang.* Oper. Omn. Tom. III. pag. 406. §. 28.

(m) *Zacchias*, Quæſt. Med. Legal. Lib. II. Tit. II. Qu. VI. n. 6 p. 217

(n) *Foreſtus*, Obſervat. Med. Lib. XXX. Obſ. VI. p. m. 19; *Zacchias*, loc. cit.

(o) *Rhodingius*, Antiqu. Lect. Lib. VI. Cap. IV. col. 273.

(p) *Athenæus*, Lib. IX. & *Garmannus*, loc. cit. §. 43. pag. 650.

(q) *Riedlinus*, Lin. Med. Ann. III. Februar. Obſ. XXI. pag. 119.

rem ſpirantem (r) poſt Sal volatile oleoſum ſumtum. De *Sudore* denique *verè ſtercoreo*, obſervatio proſtat (s) PAULLINI.

§. XIX.

Quod nunc *Sudores præternaturales*, *ratione Subſtantiæ peccantes*, attinet, tales ſub hac denominatione intelligimus Sudationes, ſi inſueta ac inſolita, Sudoris in modum, per poros cutis excernentur: v. g. ſi loco Sudoris ſeroſi, ac ſalſo-ſulphurei, *Sudor* erumpit *gelatinoſus* ſeu mucilaginoſus, qualem in gravida obſervavit Celeberr. D. D. BEHR, (t) Fautor ac Præceptor meus fidiſſimus, ſummè colendus. Hûc etiam pertinet *Sudor cryſtalliſatus*, cujus mentionem facit (u) REISELIUS. Ut & *Sudor arenoſus*, qualem in SPERLINGIO, Philoſopho Wittebergenſi advertit (x) CONRAD. VICTOR. SCHNEIDER. Huc quoque ſpectat *Sudor ille arenoſus albiſſimus*, quem in Parente ſuo arthritico plus una vice annotavit (y) PAULLINI. Raram quoque olim Hildeſiæ habuit obſervationem (z) JUSTUS VESTI, in

(r) *Riedlinus*, Lin. Med. Ann. V. Mart. Obſ. XXIX. pag. 311.

(s) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. VII. p. 134. in Append.

(t) *Comm. Litter. Med. Norimb.* Ann. 1734. p. 81. & 82.

(u) *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. VI. & VII. Obſ. 67. in Schol. pag. 93.

(x) De Catarrh. Lib. III. Cap. 3.

(y) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. V. pag. 54. in Append.

(z) *Kirchhoff.* Diſſ. inaugur. de Calcul. Ren. & Veſic. §. 1.

in viro quodam religioſo, qui Hypochondriaco-Lithiacus ſæpius ſudavit per totum corpus arenam. Similes obſervationes alii etiam Auctores (a) annotarunt. Hanc ad claſſem etiam ſpectant *Sudores* (b) *pingues & oleoſi; Sudores* (c) *viſcidi;* (d) *urinoſi*, &c. In ſpecie autem hûc pertinent *Sudores* (e) *pediculares*, (f) & *verminoſi*. Uti nec minus *Sudores* (g) *Melli*, (h) *Vino*, atque (i) *Cereviſiæ ſimiles*.

(a) *Bartholinus*, Cent. I. Obſ. 34. pag. 54. *Mollenbrocc.* de Arthritid. Vag. Scorbut. Cap. XIII. n. 100. pag. 251. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. V. Obſ. 85. & Ann. IX. Obſ. 84.

(b) *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. II. Obſ. 19 Et Añ. VI. Obſ. 170. Ut & Dec. II. Ann. V. Obſ. 112. pag. 70. *Schrœder.* Pharmacop. Lib. IV. Claſſ. I. Cap. 233. p. 115. *Platerus*, Obſ. Med. Lib. I. pag. 88.

(c) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. X. Obſ. 59.

(d) *Salmuth.* Cent. II. Obſ. 82. pag. 97. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. VI. Obſ. 15.

(e) *Henr. ab Heer.* Obſerv. XXIII. p. 270. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. VI. Obſ. 1. *Heinſius*, Orat. de Laud. Pedicul.

(f) *Redeckerus*, Hiſtor. Font. Bilfeld. *Velſchius*, de Ven. Medin. Cap. II. pag. 55. *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. VI. Obſ. 3. *Garmann.* de Mirac. Mort. Lib. II. Tit. VI. §. 72. pag. 536.

(g) *Rhodius*, Cent. III. Obſ. 68. p. 457.

(h) *Lanzonus*, Oper. Omn. Tom. II. Obſ. 88. *Bartholin.* Cent. IV. Hiſt. 62. pag. 362. *Eph. Nat. Cur.* Dec. III. Ann. I. Obſ. 40. pag. 58. *Sachſius*, Lib. II. Ampelograph. § VI. Cap. VIII. p. 395.

(i) *Salmuth*, Centur. II. Obſerv. 28. pag. 72.

§. XX.

Ultimo tandem loco, in Sudoribus quoad Subſtantiam præternaturalibus, non ommittendi ſunt *Sudores Sanguinei*: De hiſce quidem Theologi quidam dubia moverunt, an in ullo unquam homine (k) erupuerunt, excepto Θεανθρώπῳ CHRISTO? His autem honoratiſſimis Viris reſpondendum, tot jam proſtare certiſſimas Obſervationes hominum Sanguinem ſudantium, ut nullum amplius de veritate hujus rei ſuperſit dubium. Non jam loquimur de *Sudoribus illis ſanguineis*, (l) *arte productis*, ſed de *Sudoribus verè cruentis* nobis ſermo eſt. Ex magnis enim Animi commotionibus, in variis ſæpe ſubjectis, Sudores Sanguinis (m) exorti fuerunt. Sic ante Panolethriam Magdeburgenſem copioſum in Haſſia ſanguinem miles quidam (n) ſudavit. De Alexandro M. idem dicitur, (o) quod, cum ardenti animi conatu in pugna adverſus Indos decertaret, militesque ſuos deficere animadver-

(k) *Sylvaticus*, Controverſ. V. *Sudorem ſanguineum penitus negat.*

(l) Vide *Nicolaum Monardem Medicum*, Lib. II. Aromat. *Et Baricellum*, Lib. II. Cap. XI. Uti etiam *Sebizium*, in Diſſ. de Sudore, §. XXXI. p. 29.

(m) *Reies*, Elyſ. jucund. quæſt. Camp. Quæſt. 86. pag. 1117. ſq. n. 18. ſq.

(n) *Everhard. Waſenberg.* Lib. II. Flor. German. p. 221.

(o) *Bouiſtau*, de l'Excellençe de l'Homme, p. 227. *Garmann.* de Mirac. Mort. Lib. II. Tit. VI. §. 39. p. 516.

madverteret, usque adeo ira ſuccenſus ſit, ut Sanguinem ê toto corpore exſudaverit ac copiosè effuderit. Multi inſuper mortalium, qui in magnis angoribus, & graviſſimo ac præſentaneo mortis horrore perculſi erant, (p) Sudorem ſanguineum emiſerunt: Sic JOH. MALDONATUS (q) hominis cujusdam robuſti ac benè valentis meminit, qui, auditâ in ſe capitis ſententiâ, Sudore ſanguineo totus perfuſus fuit. Alterius etiam, qui ex mortis timore in Sanguinis Sudorem repentè incidit, meminit (r) THUANUS, & ex eo (s) JONSTONUS; Præfectus ſcil. Montis Marini, cum in obſidione ejus ab Auguſto Saluciorum Principis filio notho, ad colloquium quaſi fuiſſet vocatus, hinc captivus detentus, morsque certiſſima ipſi addicta, niſi locum traderet; tantoperè iniquæ mortis metu affectus eſt, ut ſanguineum hinc ſudorem toto corpore funderet. Aliam adhuc præterhæc ex eodem THUANO affert hiſtoriam (t) VAN DER LINDEN.

D 3 §. XXI.

(p) *Steph. Roderic. Caſtrenſis*, Lib. I. Quæ ex quib. Cap. 23. *Caſpar. â Reies*, loc. cit. p. 1119. n. 21.

(q) Tom. I. *in Evangel.* in Cap. XXVI. n. 38. *Matth.* Et *Drexelius*, P. II. Deliciar. Gentis humanæ, Cap. II. §. 3.

(r) in Hiſtor. Libr. XI.

(s) in Thaumatograph. Claſſ. X. Artic. 5.

(t) in Selectis ſuis, Sect. XIII. §. 116.

§. XXI.

Verumenimvero non ſolum hujusmodi, ſed & alii, ex aliis cauſis oborti, obſervati ſunt *Sudores ſanguinei*: v. g. ex nimio corporis, in æſtu Solis, (u) motu ac exercitatione: porro, â nimia corporis exagitatione (x) in Coitu: (y) â Sanguine nimis tenui: (z) â Febre ſanguinea: (a) â Peſte: (b) â Serpentibus: (c) â Cute tenera, & præſertim (d) in infantibus: (e) â Morbis itidem malignis:

(u) *Bartholinus*, de Later. Chriſt. Apert. Cap. XIII. pag. 127. *Scharandæus*, de Rat. Conſ. Sang. Lib. I. Cap. 9.

(x) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. An. VI. Obſ. 47. in Append. pag. 55.

(y) *Garmann.* de Mirac. Mort. Lib. II. Tit. VI. §. 44. & 45. pag. 519. ſq.

(z) *Zacut. Luſitan.* Prax. Admir. Lib. III. Obſ. 2.

(a) *Georg. Fabricius*, Annal. Miſn. Lib. III. p. 207. *Hildan.* loc. cit. Obſ. 76. p. 601. *Agricola*, Lib. II. de Peſte. *Zacut. Luſitan.* loc. cit. Obſ. 41. *Reies*, Elyſ. jucund. quæſt. Camp. Qu. 86. n. 6. p. 1111. ſq.

(b) *Athan. Kircherus*, S. III. Scrutin. de Peſt. Cap. 3. pag. 307. *Garmann.* l. c. §. 42. & 43. pag. 518.

(c) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. X. Obſ. 65. pag. 121. *Paullini*, in Obſ. Med. Phyſ. Obſ. XXXVII. p. 45. *Garmann.* loc. cit. §. 46. & 47. pag. 520. *Reies*, loc. cit. n. 11 -- 13. *Buſtamantius*, de Animantib. Sacr. Scriptur. Lib. II. Cap. XVI. num. 128.

(d) *Garmann.* loc. cit. §. 49. pag. 522. *Paullini*, loc. cit.

(e) *Reies*, loc. cit. n. 16. & 17. *Rhaſis*, Continent. Lib. XXX. Tract. XIII. Cap. 1.

gnis: nec minus etiam (f) â quibusdam herbis, nimioque uſu ſpirituoſiorum (ff) & volatilium medicamentorum, producti. Ut de aliis jam Sudoribus ſanguineis, in (g) infantibus, (h) juvenibus, (i) gravidis, (k) puerperis, (l) aliisque hominibus obſervatis, nil amplius dicamus.

§. XXII.

(f) *Garmann.* de Mir. Mort. Lib. II. Tit. VI. §. 55-58. p. 526. ſq. *Nicol. Manard.* Lib. II. de Aromat.

(ff) *Frider. Deckers*, Exerc. Med. Pract. Cap. VII. p. 590. *Bartholin.* de Cruc. Chriſt. Hypomn. IV. p. 161. & 163.

(g) *Binninger.* in Obſerv. Cent. IV. Obſ. 52. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. X. Obſerv. 65.

(h) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. X. Obſ. 179.

(i) *Horſtius*, Obſ. Sing. Part. II. Lib. I. Obſ. 15.

(k) *Binninger.* in Obſerv. Cent. V. Obſ. 20.

(l) *Riolanus*, Enchirid. Anatom. & Pathol. p. 417. *Schenck.* Obſerv. Lib. VI. p. 876. *Paræus*, Lib. XXI. Cap. 22. *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. VI. & VII. Obſ. 10. *Et* Dec. III. Ann. VII. & VIII. p. 123. in Append. *Marc. Donatus*, Lib. I. Cap. 2. *Tulpius*, Obſervat. Lib. II. Cap. 31. *Hildanus*, Cent. VI. Obſ. 76. *Garmannus*, de Miracul. Mortuor. Lib. II. Tit. VI. §. 36--51. *Reis*, Elyſ. jucundar. Quæſtion. Camp. Qu. 86. pag. 1110. ſq. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. II. Obſ. 34. *Et* Cent. I. & II. Obſ. 20. *Binninger.* in Obſerv. Cent. V. Obſ. 58. *Zeilerus*, P. I. Epiſt. 85. p. 248. *Regmann.* Chronic. Lubec. Lib. III. fol. 17. *Bartholinus*, Cent. II. Epiſt. XI. pag. 44. *Ariſtoteles*, Lib. III. de Part. Animal. Cap. 5. & Lib. III. de Hiſtor. Animal. Cap. 19. *Rondeletius*, de Dignoſc. Morbis, Cap. 11. & 18. *Salomon. Albertus*, in Orat. de Sudore cruento.

§. XXII.

De Sudore ſanguineo (m) Salvatoris noſtri JESU CHRISTI Authores inter ſe non conſpirant, an videlicet fuerit naturalis, an vero miraculoſus aut ſupernaturalis? Citra miraculum hunc Sudorem in Chriſto accidiſſe, probat CAJETANUS, *Luc.* 22. ut & (n) SUAREZ: Nam cum verus homo Chriſtus fuerit, nilque ex his, quæ humanæ naturæ ſunt, â ſe abalienaverit, videtur non eſſe inconveniens dicere, quod in tanto adventantis morte poſitus, ſummâ animi moeſtitiâ affectus, Sanguinem naturaliter ſudaverit. Quid ni forſitan & ipſa humanitas in Chriſto, mortem, (o) quam tantis tormentis acerbiſſimam prævidebat & expectabat, anxiè exhorreſcere potuit, ut præ animi moleſtia in copioſum Sanguinis Sudorem deveniret, ipſum præſertim ſanguinem divina juſtitia expoſtulante, ad cujus obedientiam paratiſſimum ſeſe oſtendere volebat.

Alium adhuc in modum hunc Sudorem CHRISTI ſanguineum explicare contendit (p) S. BERNHARDINUS SENENSIS, ex actione & contraactione horribili ac vehementiſſima timoris ipſius præ morte, ac amoris pro genere humano. Sed licet hæc probè dici

(m) *Luc.* Cap. XXII. verſ. 44.
(n) Tom. III. in 3. p. D. Thomæ, Quæſt. XLVI. Art. 8.
(o) *Reies*, Elyſ. jucund. quæſt. Camp. pag. 1121.
(p) Tom. I. Sermon. 51. de Paſſione Domini, Cap. II. pag. 310. column. 2.

dici videantur, tamen in CHRISTO DOMINO ex hâc cauſa Sudorem ſanguineum principaliter proveniſſe, non eſt cur facilè concedamus; major igitur & alia fuit vis, quæ prædictum Sudorem movere valuit, ſupernaturalis nempe atque divina, uti hoc Concilium Tridentinum, Theologique ferè omnes unanimiter docent. Et certè, (q) ſupernaturalem fuiſſe cauſam, evidenti ratione videtur confirmari, quod copioſiſſimæ ſanguinis guttulæ emanârunt, ad terram usque decurrentes; quod in aliis, in tanta copia factum eſſe, nullibi legimus. Sed tacemus, Theologis enim hoc potius explicare incumbit, quam Medicis.

§. XXIII.

Pergimus itaque ad *Sudorem præternaturalem, ratione Quantitatis peccantem*, qui eſt 1) vel paucus, 2) vel nimius.

Sudorem paucum hîc illum intelligimus, quem HIPPOCRATES paſſim Ἐφίδρωσιν ſeu Conſudationem appellat; ſeu is ex univerſo corpore exeat, ſeu in quibusdam tantùm corporis partibus, nullo etiam in his exiſtente affectu, nunc calidus, nunc frigidus, ſpectetur. Obſervantur autem tales (r) Ἐφιδρώσεις ſpecies variis in affectibus, tam mitioribus, quam vehementioribus; ubicunque

(q) *Reies*, loc. cit. Quæſt. 86. pag. 1121. in fine.
(r) *Sebizius*, Diſſ. de Sudore, §. XXXV. pag. 37.

cunque tamen acciderint, ſuſpectas pronunciat HOLLERIUS. Pertinent ergo hûc varii Sudores (s) particulares, (t) uniusque lateris.

Ad hanc porro claſſem *Sudores retenti* ſunt cenſendi, qui duobus modis tales ſunt nominandi. 1) Quando, ubi cum ἐυφορίᾳ fluunt aut fluxuri ſunt, â cauſis externis, tum meatus conſtringentibus, tum humores condenſantibus, conſilio vel caſu, (u) non ſine noxâ, ſupprimuntur. 2) Quando in ſtatu morboſo, ubi excreti prodeſſe poſſent, nulli unquam, ne per medicamenta quidem, compoſito etiam ad ſudandum ægro, (x) Sudores obſervantur.

§. XXIV.

Sudor nimius adhuc reſtat, quem fuſius nunc expli-

(s) *Eph. Nat. Cur.* Volum. IV. Obſ. 115. pag. 452. *Pechlinus*, Lib. II. Obſ. 52.

(t) *Eph. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. IV. Obſ. 100. *&* Ann. VI. & VII. Obſ. 67. *Item* Dec. II. Ann. II. Obſerv. 126. *&* Ann. X. Obſ. 194. *Ut &* Dec. III. Ann. II. Obſ. 52. *Et* Ann. V. & VI. Obſerv. 202. *Et* Ann. VII. & VIII. pag. 133. in Append. *Item* Centur. I. & II. pag. 188. in Append.

(u) *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. II. Obſ. 76. Breßlauiſche Geſchichte, XIX. Verſuch, pag. 86. und XXIV. Verſuch, pag. 457. *Riedlinus*, Lin. Med. Ann. VI. Novemb. Obſerv. 25. *Lanzonus*, Oper. Omn. Tom. II. Obſ. 189.

(x) *Riedlinus*, Lin. Med. Ann. II. Auguſt. Obſerv. III. pag. 363.

explicare libet. *Hic autem nihil aliud eſt, quam humorum* (y) *aquoſo-halituoſorum, ſalſo-ſulphureorum, ac ſimul* (z) *lymphatico-gelatinoſorum, ſuperflua, eaque vel* (a) *continua, vel certas* (b) *periodos obſervans, excretio, cum inſigni virium abſumtione* (c) *utplurimum juncta; quare etiam jure merito præternaturalis audit.* Dantur quidem Sudores, qui reſpectu aliorum individuorum, etiam nimii appellari poſſint, v. g. qui Subjecta Plethorica ac Sanguinea, poſt leves etiam corporis commotiones (d) affligunt: Verum hi potius ad naturales, quam præternaturales Sudores pertinent, quia cum ἐυφορία quadam contingunt, partes lymphatico-gelatinoſas minus educunt, ſpiſ-

 ſum

(y) *Nenter.* Fundam. Medic. Theor. Pract. Tom. II. Tab. LXXVII. p 129.

(z) *Coſchvvitz.* Organ. & Mechaniſm. Phyſiolog. pag. 274.

(a) Sic *Sudorem ſex Menſium* obſervavit BORELLUS, Cent. IV. Obſ. 36. *Septem autem Annorum,* TULPIUS, Obſerv. Med. Lib. III. Cap. 42.

(b) Quale quid obſervatur in Sudoribus Febricitantium atque Hecticorum. *Sudorem* etiam *periodicum* deſcribit RHODIUS, Cent. III. Obſ. 74. De *periodico ſpontaneo ſingularum ſeptimanarum*, ſalutari vero, vid. EPH. NAT. CUR. Dec. I. Ann. VI. Obſ. 167.

(c) *Hoffmann.* Med. Rat. Syſt. Tom. I. p. m. 210. *Stahl.* Colleg. Pract. pag. 195.

(d) *Nenter.* Fundam. Med. Theor. Pract. Tom. II. Tab. LXXVII. p. 129.

ſum ſanguinem, (uti Sudores nimii (e) ſtrictè ſic dicti,) poſt ſe non relinquunt, hinc etiam vires ſubjectis ſuis non abſumunt. Ad horum etiam claſſem aliquo modo etiam pertinent *Sudores* illi *αὐτοκρατικοὶ*, qui in hominibus, quoad cætera ſanis, (f) matutinis præſertim temporibus contingunt, eosque multis â morbis (g) præſervant. Ambo enim hi Sudores, ſi limites ſuos non tranſiliunt, magis naturalibus, quam præternaturalibus Sudoribus adnumerandi ſunt.

§. XXV.

Nimius verò ac præternaturalis Sudor, vel copiâ, vel aſſiduitate, vel utrâque moleſtus, in triplici conſtitutus differentia (h) obſervatur: Vel enim

1) Per ſe incipit, & propriis ſuis ex cauſis affligit, absque alio concurrente morbo manifeſto, vel præſente, vel prægreſſo, cujus aut comes, aut effectus exiſtat. Cujusmodi Sudoris exempla & (i) Tulpius, & (k) Willisius, annotarunt.

2) Vel prægreſſi alicujus morbi effectus ſeu con-

(e) *Juncker.* Conſpect. Patholog. Tab. VI. pag. 67. n. 4.
(f) *Lentilius*, Jatromnemat. p. 327. ſq. *Stahl.* Colleg. Pract. pag. 839.
(g) *Coſchvvitz.* Organ. & Mechaniſm. Phyſiol. p. 275. *Stahl.* Colleg Pract. loc. cit.
(h) *Williſius*, Pharm. Ration. Sect. V. Cap. 3.
(i) In Obſervat. Med. Lib. III. Cap. 42.
(k) In Pharmac. Ration. loc cit.

conſectarium exiſtit; quale quid febribus diuturnis ſæpiſſimè ſuccedit. Obſervarunt enim WILLIS, SYDENHAM, aliique, in illis febricantibus, quos febres diutius macerarunt, has ipſas tandem in Sudores nimios copioſiſſimos multoties terminari, noctu potiſſimum & cum virium languore affligentes. Modo dictum confirmat WILLISIUS, *loc. cit.* exemplo juvenis cujusdam, poſt Quartanam decimeſtrem demùm ſolutam, copioſos Sudores nocturnos, cum extrema virium proſtratione macieque totius corporis, perpeſſi.

3) Vel Morbi alicujus præſentis Symptoma comesque malignus exiſtit. Nimii enim tales Sudores ſæpiſſime viſuntur in Hecticis, Phthiſicis, Scorbuticis, illisque præſertim ſubjectis, qui Febre Sudoroſa aut (l) maligna Sudatoria, (m) Anglicus etiam Sudor, vel Gallis (n) *La Suette*, Germanis **die Schweiß-Seuche** dicta, decumbunt; de hoc enim peſtilentiali certè morbo, (o) STAHLIUS, inter reliqua, tali modo ſcribit: die Patienten zerfloßen gleichſam in häuf-

 figem

(l) *Sennertus*, Tract. de Febribus, pag. 557.
(m) *Wedelius*, de Sudore Anglico, Jenæ. 1697. *Slevogt*, Diſſ. de Sudoribus, §. XVII. pag. 13. *Stahl*. Colleg. Pract. p. 791.
(n) Von dieſer Schweiß-Seuche, welche im Jahr 1723. in Artois und Picardie ſehr gewütet, ſiehe die Breßlauiſche Geſchichte, XXV. Verſuch, pag. 160. & 275.
(o) In Collegio ſuo Practico, pag. 793. ab initio.

ſigem und anhaltendem Schwitzen, ſo nicht eher aufhörete, biß nach Verfluß von 24. Stunden, ſich die Kranckheit ſolvirte. Die aber das Schwitzen verhinderten, keine Stärckung brauchten, die Wärme nicht vertragen, und hingegen Lufft an ſich laſſen wollten, die ſtarben alle innerhalb 24. Stunden dahin.

§. XXVI.

Homines, qui Sudore nimio præternaturali, præ cæteris ſubjecti eſſe ſolent, ſunt (p) Sanguineo-Phlegmatici; habitûs corporis ſpongioſi; lauté viventes; ſomno, potu, atque Venere abutentes. Porro illi homines, qui, quando leviter ſolùm corpus movent, (q) Sudorem copioſum ſtatim experiuntur. Ut & illi, qui evacuationes ſanguinis, vel naturales, vel artificiales conſuetas, neglexerunt; Homines itaque Hæmorhagiis narium, Menſibus, Hæmorrhoidibus, Venæſectionibus, Scarificationibusve antea aſſuefacti. Inprimis vero Phthiſici, Hectici, Febricitantesque varii; qui omnes ac ſinguli Sudationibus ſuperfluis atque nimiis fere ſemper ſunt obnoxii.

§. XXVII.

(p) *Nenter.* Fundam. Med. Theor. Pract. Tom. II. pag. 150. *Juncker.* Conſpect. Patholog. Tab. XII. pag. 199. n. 10.

(q) *Juncker.* Conſpect. Medic. Theoret. Pract. Tab. XCVII. pag. 794.

§. XXVII.

Cauſas Sudoris nimii quod nunc ſpectat, illæ certè variæ ſunt: In cenſu enim eorundem occurrit

1) *Cutis nimia raritas* (r) *ſive textura laxior*, pororumque major quam par eſt apertura. Hæc autem rurſus *vel congenita* eſt, velut in puella illa, (s) ſeptem per annos Sudorem immodicum perpeſſa, cui ſcilicet, â primo ſtatim ortu, ob Sudores prægnanti matri crebrius motos, Cutis ſpiracula & Sudoris cribra ſemper manebant aperta. *Vel acquiſita*, partim per conſuetudinem, poſt diætam ſudorificam diu continuatam, unde pori cutis per longum tempus extenſi & patefacti, diu poſtea dehiſcunt, & ferè ſemper apertiores manent; partim per ægritudinis p. n. variam alterationem, fibroſorumque cutis ſtaminum laxatum tonum.

2) *Particularum ſeroſarum, ſalſoque-ſulphurearum, in maſſa ſanguinea ſuperflua præſentia.* Tales autem particulæ in humoribus noſtris generantur, *vel* ex victu (t) copioſore: Sic enim HIPPO-

(r) *Maſſarias*, Pract. Med. Lib. V. Cap. XXVIII. p. m. 865.

(s) *Tulpius*, Obſerv. Medic. Lib. III. Cap. 42.

(t) Huc quadantenus etiam ſpectat Obſervatio illa Sudoris nimii, poſt uſum Aquarum calidarum exorti. *Plater*. Obſerv. Lib. III. fol. 735.

HIPPOCRATES: *Sudor multus per ſomnum factus, copioſiore victu, corpus onerari, indicat. Vel* exoriuntur ex conſtitutione Aëris humida & auſtrina; id ipſum rurſus docente (u) HIPPOCRATE, dicente: *Cum Æſtas ſit ſimilis Veri, Sudores multos in febribus expectare oportet.* Et repetente GALENO, (x) his verbis; *Per æſtus ſiccos & ſqualidos, febres ferè ſine Sudore eveniunt; per imbres vero, longè magis ſudorulentæ fiunt. Vel* ſeroſitates hæ cumulantur, ob parciorem ſeri in reliquis organis excretoriis excretionem, unde redundans in maſſam ſanguineam, laxiusque eidem cohærens, facilè in Glandulis Veterum ſubcutaneis, aut Recentiorum Poris, ab eadem ſecedit. Sic â ſuppreſſa derepentè urina, ex calculo renali, Sudor exortus eſt uvidus, fœtoris intolerabilis, (y) per decem dies fluens: Quale quid etiam (z) SALMUTH obſervavit. Imò, quod rarius, loco ordinarii fluxûs menſtrui, Sudorem menſtruum periodicum, ſine febre, annotavit (a) BENEDICT. SYLVATICUS, & ex eo (b) RHO-

(u) Section. III. Aphoriſm. 6.

(x) Commentar. in Prog. Hippocratis.

(y) *Carol. Piſo*, Obſerv. 126.

(z) In Obſervat. Centur. II. Obſerv. 82.

(a) Centur. II. Obſerv. 95. Huc etiam pertinet obſervatio BARTHOLINI, de Sudore in volis manuum, ex imminutis Menſibus. *Act. Hafnienſ.* Vol. V. Obſ. 76.

(b) Centur. III. Obſerv. 74.

Rhodius. *Vel* particulæ hæ ſeroſæ ſalſoque-ſulphureæ ortum ſuum debent peculiari cuidam Maſſæ Sanguineæ dyſcraſiæ: quæ rurſus conſiſtit, vel in cruditate aquoſa, vel in cruditate cacochymica aut ſalſuginea. Prior accuſanda videtur in iis, qui febres diuturnas perpeſſi, aut diæta mali ſucci ſunt uſi; hi enim levi de cauſa in Sudores aguntur, non ſecus ac jumenta, gramine aut fœno recenti uvido veſcentia, â labore quovis plurimum ſudant, & cito oblangueſcunt. Poſterior utplurimum occurrit in Phthiſicis, Hecticis, aut etiam Scorbuticis; in his enim ſubjectis, ſanguis continuò funditur, inque ſeroſitates præcipitatur; aut ſuccus chyloſus, recens in Maſſam ſanguineam illatus, propter hujus dyſcraſiam & illius impuritates, eidem non ritè aſſimilatur, unde â ſanguine quaſi rejectus, ſicubi inveniat poros patentes, per has potius, quam per alias excretionum vias foras amandatur.

3) *Cauſarum moventium vis atque impetus*, eorumque tam externarum, quam internarum: quorſum pertinent motus continuati; exercitatio laborioſa; diuturnior mora in aëre ambiente calido; nimis medicamentorum diaphoreticorum impetus; circulatio ſanguinis nimium aucta, præſertim in febribus quibusdam acutis, malignis, atque peſtilentialibus; & quæ ſunt alia.

§. XXVIII.

Properamus jam ad *Signa Sudationis nimiæ*: Hæc certè ex ſe ac ſpontè utplurimum patent. Præcedunt quidem in aliquibus ſubjectis inquietudines variæ, ſomnum ſimul turbantes; pulſus etiam obſervatur auctior, fortior, atque celerior; hunc inſequitur calor auctus in partibus externis, ab intra extrorſum vergens, & ſub cute magis vel minus urens; hunc immediate excipit habitûs corporis relaxatio; hinc Diapnoë ſeu Mador, Sudorque primò lenis, poſtmodum vero ſenſim invaleſcens, & per intervalla ſæpius repetens; ultimo tandem loco continuò indeſinenterque, cum ſumma virium proſtratione (c) affligens.

§. XXIX.

De *Prognoſi atque Cautelis Practicis* quoque aliquid dicendum. Ubi primo notandum, quod, quamdiu Sudores tolerabiliter adhuc procedant, licet nimii videantur, leniter potius promovendi (d) quam ſupprimendi ſint: hinc tranquilla corporis continentia, moderatus calor, & ſufficiens dilutus potus, ne ſanguis multa Sudatione ſpiſſeſcat, commendentur. Licet enim tales

(c) *Stahl*, Colleg. Pract. p. 195.
(d) *Juncker*, Conſpect. Medic. Theor. Pract. pag. 795.

tales Sudores, per aliquot etiam menſes continuent, nunquam tamen Medicum eò perducant,(e) ut per iterata Anodyna aut Adſtringentia hanc excretionem cohibeat, nam ſuppreſſione tali nihil aliud efficit, quam graviſſima (f) ſymptomata, pejoresque affectus, imò (g) mortem ipſam accelerare. Secundo quoque ſciendum, quod Sudores, nimii etſi apparentes, poſt febres inprimis diuturnas, (h) ſi reliqua conſentiant, admodum ſint ſalutares. Porro ex experientia conſtat, Sudores ſuperfluos in nutricibus multoties (i) Lactis deficientis cauſam exiſtere. Sudores nimii, quia partes lymphatico-gelatinoſas (k) ſimul

(e) *Panarolus*, Pentecoſt. III. Obſerv. 16. *Juncker*, loc. cit. p. 575. & 796. *Ut &* Conſpect. Patholog. pag. 446.

(f) Breßlauiſche Geſchichte, XIX. Verſuch, pag. 86. und XXIV. Verſuch, pag. 457. *Coſchvvitz*, Organ. & Mechan. Patholog. p. 285. *Nenter.* Fundam. Med. Tom. II. p. 131. *Stahl.* Colleg. Pract. p. 564. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. V. in Append. p. 10. *&* Dec. III. Ann. III. Obſ. 106. *Juncker.* Conſpect. Medic. Theor. Pract. Tabul. XCVII. p. 795.

(g) *Lanzonus*, Oper. Omn. Tom. II. Obſ. 189. *Juncker*, Conſpect. Med. Theor. Pract. Tabul. LXX. pag. 575. in fine.

(h) *Nenter.* Fundam. Medic. Theor. Pract. Tom. II. pag. 131.

(i) *Chriſtian. Joh. Lang.* Oper. Omn. Part. II. p. 166. n. 2.

(k) *Coſchvvitz.* Organ. & Mechan. Phyſiol. p. 274.

ſimul educunt, ſanguinemque (l) ſpiſſum relinquunt, atque (m) vires abſumunt, diluentibus, humectantibus, (n) & reſtaurantibus ſunt tractandi. Sudores nimii colliquativi (o) de Phthiſi & Hectica non ſolummodo teſtantur, ſed ſimul peſſimæ ſunt indolis, ægrotosque (p) brevi tempore ad mortem ducunt. Sudores tandem Febricitantium excedentes, (q) non raro labem viſceris pro cauſa agnoſcunt, & Hecticam poſt ſe trahunt.

§. XXX.

Cura nunc explicanda reſtat: In hâc autem probè diſpiciendum, an talis *Sudor*, *nimius apparens*, vel *criticus* ſit, vel *autocraticus*, vel re ipſa *præternaturalis.*

Si itaque *criticus* ſit, morbumque frangat, tunc nunquam ſupprimendus eſt; facit enim ad minimum, ut æger facilius (r) morbum ſuum per-

(l) *Juncker.* Conſpect. Patholog. p. 67.
(m) *Hoffmann.* Med. Rat. Syſtem. Tom. I. p. m. 210.
(n) *Stahl.* Colleg. Pract. p. 195. *Juncker.* Conſpect. Medic. Theor. Pract. p. 131. n. V. 1.
(o) *Juncker.* loc. cit. p. 300. 304. 569. & 571.
(p) *Nenter.* Fundam. Med. Theoret. Pract. Tom. II. pag. 131.
(q) *Nenter.* loc. cit. p. 131.
(r) *Maſſarias*, Practic. Medic. Lib. V. Cap. XXVIII. pag. 866.

perferat. E contrario etiam eidem (s) non nimis diu eſt indulgendum, varia namque exinde oriri poſſunt damna. Sic Blegny (t) obſervavit, quod Sudor criticus nimius, febrem intermittentem aliquando lethalem effecerit: Porro Zacutus Lusitanus (u) quendam criticè ſudantem, veſtibusque nimium contectum, in Syncopen incidiſſe vidit. Talis ergo Sudor tranquillâ corporis continentiâ, regimine moderato, potuque calido ſufficienti, placidè fovendus atque promovendus eſt.

Si porro talis Sudor *avtocraticus* exiſtat, minimè etiam uno impetu coërcendus eſt, ſed potius remediis temperantibus fixisque diaphoreticis tractetur; conducunt etiam Emulſiones temperantes lenibus diaphoreticis junctæ; inſignem etiam uſum habet Gelatina Cornu Cervi, quâcum nocturnum talem Sudorem curavit (x) Riedlinus. Laudant & alii, ſi reverâ nimii exiſtant, Corallia rubra præparata verſus noctem cuſpidatim aſſumere: Sed cautè hiſce mercandum.

(s) *Riedlin.* Lin. Med. Ann. II. Menſ. Jul. Obſerv. XXI. pag. 339.
(t) Zodiac. Gallic. Ann. 1682. Februar. Obſ. 17.
(u) Prax. Admir. Lib. I. Obſerv. 144.
(x) Lin. Med. Ann. II. Menſ. Novembr. Obſ. I. p. 527.

§. XXXI.

Si vero Sudor talis merè *præternaturalis* obſervetur, ſic ut vires abſumat, corpusque hebetet, tunc ipſi moderatè opponantur remedia Nitroſa, Abſorbentia acidis ſaturata, Gemmata, atque Corallata. Celeb. D. D. JUNCKERUS (y) ſequens præprimis commendat:

℞. Matr. Perlar. ppt. ʒj.
⊕ri depurat. ʒß.
Specier. de Hyacinth. gr. xv.
MPil. de Cynogloſſ. gr. iij.
M. f. ℥. div. in v. part. æq. d. ad Chart. S.

Anhaltendes Pulver, davon alle 4. Stund 1. Briefflein voll zu nehmen.

Acida quoque temperata, (z) Alexipharmacis lenibus ſociata, nimiam humorum reſolutionem impedientia, ſimul tamen Naturæ, excretionem per Sudorem molientis, ſcopum minimè invertentia, ſed potius aliquatenus promoventia, inſignis etiam hîc ſunt efficaciæ. Huc itaque quadrat Potiuncula illa (a) PAULINI, poſt nimium Sudorem ab illo utplurimum porrecta:

℞. Aq.

(y) Conſpect. Medic. Theor. Pract. pag. 566.
(z) *Nenter.* Fundam. Med. Theor. Pract. Tom. II. pag. 132. in fine.
(a) *Stahl.* Colleg. Practic. pag. 196. ab initio.

℞. Aq. Scorzoner.
Borragin. āā. ℥j.
Flor ☉rantior. ʒij.
Syrup. Acetoſitat. Citr.
Cort. ☉rant. āā. ℥ß.
♃ Bezoard. Sennert. ℈ß.

M. d. ad Vitr. S. Stärckendes Träncklein, auf 2. mahl zu nehmen.

Medicus porro probè attendat ad alvi libertatem, quæ per lenia laxantia, cum Diureticis quandoque mixta, ſemper conſervetur; hæc enim multum ad Sudoris ſuperflui imminutionem contribuit. Venæſectiones etiam plurimum hîc contribuunt, quæ præcipuè, præſervationis gratia, verſus æquinoctia inſtitui poſſunt. Ultimo tandem loco in uſum trahantur Tonica, ſuadente nimirum (b) RIEDLINO, Antihecticum Poterii, Tincturaque antiphthiſica, aut juxta alios (c) Tinctura ♂tis Ludovici, quæ & temperat, & leniter adſtringit. Simul vero Nutrientia, Reſtaurantia, Emulſiva, aut Gelatinoſa hiſce remediis ſemper ſunt interponenda. Inſuper etiam aliqui monent, (d) ut ægrotus molli plumâ aut lecto nunquam, ſed duriore potius lanâ requieſcat, leviſſimisque ſimul tegumentis contegatur.

AVI-

(b) Lin. Med. Ann. I. April. Obſerv. XXII. pag. 115.
(c) *Nenter.* loc cit. pag. 133.
(d) *Maſſarias*, loc. cit. pag. 867.

Avicenna quoque prohibet, ne promanans ſuperfluus Sudor aſſiduè detergatur, cum hujusmodi abſterſio potius cauſa ſit provocationis & augmenti ipſius, ſicut contra, ſi cutis ita humida relinquatur, obſtructis quodammodo poris & meatibus, Sudorem contingit retineri.

§. XXXII.

Sed manum de Tabula, hîc terminus Diſputationis hujus eſto! Nihil amplius ſupereſt; quam ut abs TE, Benevole Lector, veniam errorum aut non ſufficienter explicatorum enixè exorem; prolata itaque mea æqui bonique conſule, aut ſi quid noſti rectius iſtis, candidus imperti, ſi non, his utere mecum. SANCTISSIMÆ interim TRINITATI, Cujus favorabili nutu & ductu hæc conſcriberere licuit, pro præſtito auxilio, in ſempiterna laude nunquam debet eſſe

FINIS.